

... Johannes Munster regia  
academiae aboensis rector ...  
Virtutes, & togæ .....

Munster, Johan,

*17 Taad Fo1.*



National Library  
of Sweden

LECTORI  
BENEVOLIS,  
JOHANNES MUNSDORF,  
REGIÆ ACADEMIÆ ABOENSIS  
RECTOR,

PACEM ET INCOLUMITATEM!



Virtutes, & togæ, & sago inservientes, & Philosophicæ, & Theologicæ, quin firmissi-  
ma sint fundamenta, quibus, cum omnium societatum, tum præcipue magnarum Rerumpublicarum Conservatio innitur, quin,  
quoque, sint summi aptissimique gradus, per quos, ad veram & genuinam nobilitatem surgit adscensus, vix ignorat alius, quam  
is, qui omnem ejusdem, puta, nobilitatis gloriam, pomposis duntaxat titulis, pictis & fumosis majorum imaginibus, aut de-  
nique censu, & undiquaque corrasis divinis, unice mendum esse, ambitiose, ne dicam, imperite, autumat. Etenim, quid  
quæso, sine virtute, splendor Titulorum? Quam inanis in aëre strepitus, auriumque delicia; quid, inquam, sine virtute, in fanis, atriiis &  
foribus, suspensa Cervorum Cornua, Vulturum alæ, aprorum Capita, & nescio quæ non animalium monstra? Quam pulcherrima quædam, artifi-  
cum loquentia industriam, edita specimina; imo, ingeminare placet: quid sine virtute, auro, gemmis & voluptatibus circumfluens, quidam Delicatus? quam  
fortunæ ludibrium, servum pecus, Mammonæ mancipium! Verum, subaudire mihi videor, non neminem mihi oggerentem: *Raram cum virtute nobilitati  
sociationem esse, raram cum eruditione copulationem, cum fere natura ita disperterit dona, ut Nobilitatem uni, Virtutem & Eruditionem alteri largiatur,  
supra humanam videri felicitatem, utraqve beari.* Utur, autem, hæc sic plerumque forte se habeant, de fertilitate interim Præstantissimorum Virorum,  
Patriæ nostræ dulcissimæ, impensius gratulari nobis licet, quæ, infinitos propè non tantum, parentum sanguine illustres, sed & complures, ARTE vel  
MARTE juxta Clarissimos, nonnunquam, adhæc, Sacrarum Divinarumque rerum Scientiæ ita consecrandos, ut spes sit, Eos, in Lumina Ecclesiæ, & Lite-  
rariæ Reipublicæ columina, adaptari posse, feliciter producit. Hujusmodi sinceræ Nobilitatis Caractere, laute ac venuste Insignitus eminet, VIR  
Admodum Reverendus & Præclarissimus DOMINUS PETRUS TIGERSTEDT; Hic quippe, non contentus, deri-  
vato in se, cum sanguine, à Parentibus Nobilissimis, Nominis Insigniumque fulgore, nisi & priori Nobilitati, Nobilitatem novam, Genitorum quoque  
virtutibus, virtutes novas, cumulatus adderet. Cumque, ab ineunte statim ætate, tantis laudabilibus vacaret conatibus; hinc quid mirum quod & fe-  
lix ac optatus adeò, iisdem responderet eventus, ut ob partem, & in Paris, & in exoticis Academiis, Lingvarum sacrarum, Theologicarumque rerum  
cognitionem, dignus inventus sit, cui SACRATISSIMA REGIA MAJESTAS (quam, in ipsis hostilis terræ visceribus nunc degentem, dextra omni-  
potentis paterne protegat ac defendat!) non solum *Pastoratus* gregis DEI functionem in Pijssis/ Clementissime committeret, sed & quem, eadem  
altè memorata SACRATISSIMA REGIA MAJESTAS, Spectabili *Adjuncti* munere in *Facultate Theologica*, *Professoris* quoque *Extraordinarii*, honore, in  
proxime nominatâ *Facultate*, pari clementiâ exornaret? Ejus, autem, Solemni Introductioni, ad Professionem, scil. *Extraordinariam*, futurum diem Ve-  
neris, qui in 16 hujus currentis Mensis incidit, cum sciamus esse designatum, Reverendissimum, idcirco, EPISCOPUM, Academiæ Nostræ PRO-CANCELLARIUM  
Eminentissimum, cæterosque, Generosissimos, Amplissimos, Celeberrimos, Nobilissimos quoque & Clarissimos, nec non Pereximios, cujusque ordinis  
ac dignationis, Urbis hujus Civitatisque Academicæ incolas, reverenter & quo par est verborum honore, velim rogatos, frequentes ut se sistere,  
prædicto tempore, quum signum datur Campanâ, in Auditorio Maximo, dignentur, Orationem, Novi Professoris, inauguralem, auribus hausuri bene-  
volis & faventibus; Illique fausta quævis & felicia, ad lacrum suum munus obeundum, exoptaturi. Valet! P. P. Aboæ Anno salutis MDCCVIII die  
14 Octobris: Sub Sigillo Universitatis,



